

Dissertatio inauguralis medica de concrementis polyposis ... / auctor et respondens Fridericus Adamus Triebel.

Contributors

Triebel, Friedrich Adam.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Erlangae : Stanno Ellrodtiano, [1787]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/r5nw6eep>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

31.

DISSE^TAT^O IN AVGVRALIS MEDICA
DE
CONCREMENTIS POLYPOSIS

QVAM
SVMMI NVMINIS AVSPICIIS
ACADEMIAE FRIDERICO - ALEXANDRINAЕ
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

D O M I N O

**CHRISTIANO FRIDERICO
CAROLO ALEXANDRO**

MARGGRAVIO BRANDENBURGICO BORVSSIAE
SILESIAEQVE DVCE REL. BVRGGRAVIO NORIMBERGENSI
VTRIVSQVE PRINCIPATVS REL. REL.

EX DECRETO

GRATIOSI ORDINIS MEDICI

PRO GRADV DOCTORX^S

SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS PRIVILEGIIS
AC IMMVNITATIBVS RITE OBTINENDIS

D. III. APRIL. MDCCCLXXXVII.

PUBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT

AVCTOR ET RESPONDENS

FRIDERICVS ADAMVS TRIEBEL


DRESSENSIS.

ERLANGAE
STANNO ELLRODTIANO.

Cod. 69

Admodum frequentia sunt humorum quaedam coagula, quae vel in sanguineis vasis subsistunt, vel in lymphae ductibus, vel in visceribus. Talibus plerumque innituntur diuturni morbi et pertinaciores, ac nisi sublata fuerint, felicem curationis euentum frustra exspectamus.

B. ION. HENR. SCHVLZE in Prooemio Diff. Cl.
SEIVERT de Medicamentis resoluentibus pag. 7.






DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA
DE
CONCRETIONIBVS POLYPOSIS.

PROOEMIUM.

In sanguine vitam corporis esse, iam sacris litteris expressum est, nec inconcinnam prorsus interpretationem medicam haec admittit elocutio. Quodsi enim recte vita animalis praecipue in motu fluidorum per vim propriam solidorum circumstantium constituitur, non adesse solum huiusmodi fluida oportet, quae moueantur, verum etiam, si rite succedere debet hic motus, in ea adesse et quantitate et qualitate, quae ad statum sanum requiritur, et sub qua is conseruatur. Si scilicet animalia crescere, viuere et sentire dicuntur, erunt in corporibus eorum principia quaedam, a quibus hae mutationes et actiones pendent. Particulae quaedam externae corpora animalium ambientes et eorum volumen vel augentes vel conseruantes, ingeri possunt vel applicari, sive immutari aut ad immutationem praeparari debent, ut in eorum transire possint substantiam. Aderit ergo aliquid,

A

quod






quod cum ventriculo et intestinis comparari possit, seu principium quoddam digestionis et nutritionis. Si vera adest vita animalis, aderunt non minus solida debito modo fabricata, sic ut fluida et recipere et vi sua insita, et qualitate irritabili iusto impetu propellere et circumagere possint, et fluida, quae in his partibus non contineantur solum, sed etiam in motum circulatorum moueantur, ut adeo hae partes, cordi et systemati vasorum analogae non immerito pro principio vitae haberri possint. Quodsi denique omnibus animalibus sensus quidem et sensatio est, eaque motum voluntarium magis vel minus expeditum exercere possunt, quae functio-nes praecipue a nervis pendent, non immerito quoque in iis aliquid quod cerebro et systemati neruorum simile sit, quaeremus. Maxima quidem in toto regno animali, pro diuini Creatoris sapientia, obseruatur diuersitas, si mammalia, aues, pisces, insecta, vermes inter se comparentur, sine dubio tribus his principiis gaudentia, verum pro varia totius reliqui corporis structura, plurimum inter se differentibus, quemadmodum etiam ipsa fluida in his corporibus elaborata et circumacta, tum ratione mixtionis, consistentiae, saporis et coloris erunt diuersissima, licet omnia in eo conueniant, quod in solidis elaborentur et moueantur, sicque ad vitam animalis conseruandam faciant. Generali sic nomine et ob analogiam haec fluida uniuersalia sanguinem dicere liceat, etsi nunc proprie sanguinis humani tantum mentio iniicienda sit, quippe qui pariter et in hominibus ad principium vitae pertinet. Verum si tanta est sanguinis ad vitam, bonique sanguinis ad sanitatem necessitas, non minus fatendum erit, innumeras in eo et morborum et ipsius denique mortis caussas generari posse, ut, a quo sanitas antea et vita pependit, sanguis, nunc morbos mortemque inferat.

Non

Non hic de euolutione particularum, non de variis aerimoniis et cacochymiis multa adferre lubet, neque de miasmatibus, quae in sanguinem delata, eandem in eo corruptionem producunt, cum vtique amplissimae sit extensionis Pathologia fluidorum, et cum fieri non possit, quin huiusmodi massae sanguineae vitium, tandem etiam notabilem ipsis solidis labem inurat. Verum in alia nunc mea subsistit meditatio degeneratione, dum scilicet in ipso sanguine et ex ipso sanguine corpora generari possunt, in quorum noxa explicanda, non tam ad mixtionem respiciendum est, sed quae magis cohaesione, consistentia, figura, volumine, situ nocent, sive magis ad caussas morborum mechanicas referri possunt. Concrementa polyposa me hic subintelligere, unusquisque facile perspiciet, quippe quae, pro diuersis, quibus continentur, causis, grauissima, immo saepe etiam periculosissima symptomata producunt, quorum tamen et diagnosis valde ambigua et prognosis tristis, et medela, si illa, certe difficillima est. Pertractasse quidem passim viros longe me peritiores hanc materiam video: sed, cum nunc in eo constitutus sim, ut Specimen Inaugurale mihi exhibendum sit, non inopportunum iudicaui, etiam mea ex parte de hac materia paucas easque breues adferre meditaciones, eoque magis, cum mihi ipsi meaeque experientiae non nullae oblatae sint occasiones, huiusmodi concreta, eorumque noxas obseruandi, quae animum meum et meam attentionem excitarunt. Quas igitur meditatiunculas, ut laborum eruditorum primitias, aequa Benevolus Lector dijudicabit.

§. I.

E variis partibus constitutiis sanguinem nostrum compositum esse oportebat, ut, quae a bona eius qualitate pen-



dent, rite in corpore sano succederent. Particulas has non iusta solum quantitate et praecipue proportione inter se adesse oportebat, verum etiam hae ita mixtae et coniunctae esse debebant, determinato scilicet modo, ut haec mixtio ea esset, quam laudabilem, seu eucymiam dicimus. Multae sunt partes, multa viscera, quorum alterum alteri succurrit, quaeue coniunctis suis functionibus id efficiunt, quod oeconomiam animalem dicimus. Huic quidem in genere sanguificatio tribuenda est, dum alimentis assumptis insignis copia humorum inquilinorum adfunditur et admiscetur, quorum plerique **ceu** menstrua considerari possunt, dumque porro actio solidorum succum alimentorum tali modo immutatum, et promotum vterius eosque elaborat, ut sanguis inde nascatur. Inimitabili sane artificio haec sanguificatio innititur; mihi saltem dubitare licebit, si quis rerum chemicarum peritissimus, ea, quibus vescimur quotidie esculenta et potulenta in quodam vase miscuerit, iisdemque quaecunque menstrua, immo ipsam saliuam et bilem adiecerit, an vlla vel subtilissime excoigitata encheirisi vnicam saltem guttulam veri sanguinis, qui scilicet prorsus omnes, quas sanguis noster, qualitates habeat, producturus sit. Quodsi igitur certo respectu non immerito dicitur, corpus humanum esse machinam physico-hydraulicam, sed diuino artificio constructam, eodem certe iure dici potest, id quoque esse machinam mechanico-chemicam, sed pariter diuina sapientia, hinc nobis certe inimitabili, constructam.

§. II.

Artificialis itaque sanguinis compositio seu imitatio licet adeo difficilis sit, ut valde de ea dubitandum esse, mihi persuasum habeam, non tamen eius decompositio iisdem premitur

tur difficultatibus, analysis scilicet, qua in varias eius partes constituentes inquirimus: vbi tamen, si de solidis partibus in sanguine contentis dicitur *a*), follicite hae a partibus solidis structis, quatenus fluida continent, et iis sic opponuntur, distinguendae sunt. Facillima quidem sunt experimenta, quibus in sanguine praesentia particularum aquosarum, salinarum, oleofarum et terrestrium *b*), ad oculum quasi demonstrari potest, in quarum singularum indolem nunc inquirere superfluum foret. Verum etiam subtiliori indagine Viri clari in partes, e quibus sanguis compositus est, inquisuerunt, et, quae de eius aqua, spiritu, sale volatili, oleo, carbone, acore, terra, ferro et aere dicuntur, pulchre collecta legimus *c*); licet etiam hic ea, quae non multum immutata educuntur, ab iis, quae vi ignis et noua syncrisi aliter mixta et composita producuntur, probe distinguere oporteat. Neque tamen ex his perquisitionibus ut maxima sollicitudine institutis, et diuersis particularum rationibus mihi omnia sat patent, ut, quae possunt in sanguine fieri degenerationes et mutationes, prorsus explicare possim. Inest scilicet adhuc sanguini peculiaris quaedam qualitas, vel solo duorum digitorum contactu exploranda, dum scilicet lubricitas quaedam cum visciditate percipitur cum glutine soluto, comparanda. Cohesionem quandam et nisum cohaerendi particularum hic adesse, non male argumentamur, et licet etiam globulis pur-

A 3

pureis

a) Sanguis est humor ex partibus indole inter se differentibus constans; Nam ex solidis et fluidis, gravibus et levibus, diaphanis et opacis subtilioribus et fixioribus, aqueis terreis et oleosis inflammabilibus mixtus est. FRID. HOFF-

MANN. Med. rat. syst. Tom. I.
Lib. I. p. 92.

b) B. LUDWIGII Institut. Physiol. p. 64. §. 180. BOERHAVE Institut. Physiol. §. 228.

c) ILL. HALLER Elem. Physiol. Tom. II. p. 97 — 122.

pureis sua sit et cohaesio et adhaesio, tamen haec, de qua dictum est, potissimum in portione aquosa residere videtur. In sero enim, ait Vir Ill., aquam perpetuo fluidam reperimus, tum mucum, qui hactenus consistit, ut a fluida natura paulum distet, denique gelatinam, quae variis ex causis tremulum in gelu cogitur. Quando totum serum commixtum est, totum etiam addensatur, ut omnino in eo natura gelatinosa dominetur, neque aquae copia, quae in sero maxima est, vim potest impedire, qua gelatinosae moleculae se trahunt d).

§. III.

Portionem aquosam supra dixi, quatenus purpurae vel cruori opponitur, subtiliorem sic evitaturus distinctionem in aquam, serum et lympham, in qua etiam claros Viros differre video. Sic ad serum sanguinis magnam partem polyporum pertinere dicitur e), et procul dubio, etiam in homine partem eius operculi constituere, quod magnorum vulnerum arteriosorum ostia claudit, alibi vero, thrombum, aliasque vasorum sanguineorum ac ipsius cordis polypos, eiusdem ac crusta pleuritica, id est lymphaticae originis esse f). Dum vero aliis clarus incisor lympham dicit, suo iudicio, esse magis aut minus aquosam, adeoque particulis alilibilibus minus aut magis impraegnatam, prout pars sanguinis, praecipue gelatinosa, ex qua remansit, fuerit magis aut minus serosa, magisque aut minus abunde nutrimentum in partem alendam deposuerit g), mihi sane non penitus satis perspicua haec videtur distinctio. Id saltem video, dum particularum alibilium, quibus lympha impraegnata dicitur, fit mentio, has parti-

d) ibid. p. 124.

polyposa siue membranacea. p. 27.

e) ibid. p. 125.

g) PHIL. A VERHEYEN. Corp.


f) CL. MICHAELIS de Angina hum. anat, Libr. II, p. 105.

¶

particulas alibiles, dum etiam solidis apponuntur iisque adhaerent, necessario vi quadam determinata cohaerendi et adhaerendi praedita esse debere. Confirmat id Vir Celleberr. b), qui serum, dicit esse mucosa materia valde diluta viscidulum, igne, instar albuminis ovi, cito, absque multa dissipazione concrescere in massam albidaam, scissilèm, quae porro, calore modico fota, in duas partes secedit, alteram volatilem, fluidam, excolorem, aquae similimam, copiosissimam; alteram fixam, solidam, corneam cum tenacitate fragilem, ex cinereo subflauam, quae separatio aquam et gluten sale imbutum, naturamque albuminis in hoc sero prodit. Pluries mihi contigit huiusmodi membranas fragiles, debita pressione et exsiccatione e sanguine præcipue pleuriticorum præparare. Sed etiam fibram sanguini inesse dicit Ill. GAVBIUS, quae iterata ablutione albescens ex filamentis velut in membranas contexta, aqua non solubilis, sero igne coacto haud absimilem refert materiam. Haec crassamenti basis, a portione rubra longe diuersa, diuersa etiam a sero, quum sponte solidescat sanguine frigente, stagnante, ab sero semet segreget, rubrisque particulis amicior has trahat sibi que adunet i). Sic et antea iam PHIL. A VERHEYEN refert se microscopii ope in sanguine vidisse particulas longas et quodammodo teretes, instar freni aut straminum minorum l). Verum non multum his fibris inter elementa sanguinis recipiendis tribuit Ill. HALLERVS, quod in viui animalis sanguine nihil unquam, quod fibrae simile sit adpareat et ramenta seri, in solidum corpus coeuntia non debere pro fibra sanguinis excitari quae a sero diuersa
sit

b) Ill. GAVBIUS Institut. Pathol.
p. 157. §. 338.

i) ibid. p. 158. §. 340.
l) Oper. citat. L. II. p. 32.



fit m). BOERHAVIUS de quibusdam in sanguine loquitur quae sint tarda, parua, non mobilia, utpote porosa, angulosa, scabra, viscida, eaque opponit iam motis, minima vi mobilibus, vt solidis, laeuis, rotundis n), et sine dubio sub his globulos purpureos, sub illis flauescens et ad ignem concrescens serum, et excolorem ad ignem coeuntem laticem o) seu *Lympham* intelligit.

§. IV.

Longe absum ab eo qui tantorum virorum sententias aut interpretari aut conciliare velit, cum mihi, pro insti-tuti mei ratione sufficiat, id saltem certum esse, dari in sanguine particulas, quae variis accendentibus cauissis, in prae-ternaturalem cohaesione abire, sicque concretiones for-mare possunt, quae a ramorum cum multis pedibus quorun-dam animalium, similitudine polypi dicuntur, quas tamen ego potius concretiones polyposas nominare malo, ut sic eas a variis excrecentiis et farcomatibus narium, uteri, alia-rumque partium, cum quibus mihi nunc nihil est negotii, et quae potius ex substantia solidorum male affecta enascun-tur p), quam in fluidis generantur distinguam. Vario vti-que modo huiusmodi concretiones polyposae considerari possunt, vel ratione temporis et modi quo generantur, vel respectu cauorum, in quibus nascuntur, vel etiam ratione figurae et substantiae, quippe quae cuncta et in effectibus et symptomatibus magnam parere diuersitatem necesse est. Et in ipsis causis, quae eas producunt, magnam esse posse varie-tatem, argumentari licet, et paulo infra clarius forte appa-rebit.

m) Elem. Physiolog. T. II. p. 71.

o) ibid. §. 226.

n) Instit. med. §. 224.

p) Nov. Act. Nat. Cur. T. II.
Obs. XXV, XXV.


rebit. Duplicem esse polyporum speciem ait Ill. DE HAEN ^{q)}, alteram, quam dudum adfuisse, vivente homine, signa demonstrauere, atque haec signa et symptomata enumerat, ita tamen ut eum praecipue de polypo cordis tantum et in eius vicinia loqui appareat, alteram speciem esse dicit, quae appropinquante morte generari videtur, quamue utramque speciem eodem modo produci autumat. Recte enim B. IVNKERVS iam obseruauit ^{r)} mortem anxiam polypos generare, qui hinc pro causa ipsius morbi et mortis, non ita libere, ^yt fieri solet, pronunciandus est. Verum etiam aliam mihi respicere liceat differentiam, quae praecipue et caua in quibus generantur, et variam figuram harum concretionum concernunt. Sunt scilicet haec caua vel talia, quae iam in statu naturali sanguini continendo et vehendo destinata sunt, qualia nobis enumerantur Vena caua, venae iugulares, vena pulmonalis, arteria aorta, arteria pulmonalis, carotides, vel ipsi ventriculi et auriculae cordis ^{s)}, in quibus, variis de caussis, pars sanguinis coagulabilis tali modo concrescere potest, dum nulla materia intermedia, ipse sanguis eorum parietibus contiguus est; vel sunt caua seu canales, qui non proprie ad sanguinem continendum et vehendum inserviunt, sed quorum parietes perpetuo fluido quodam viscidulo et mucoso irrigui sunt, cui eae particulae immisceri possunt, quae tandem in concrementum quoddam abeant. Tubuliformes eleganter vocat has concretiones Vir eximius ^{t)}, et adiicit figuram earum perfecte figurae loci respon.

^{q)} Rat. med. T. II. p. 123.

^{s)} Ill. de GORTER Compend medicin. Tom. I. p. 211. §. VIII.

^{r)} Conspect. Theor. Pract. Tab. LXXXIX, p. 226.

^{t)} Cl. MICHAELIS in Tract. de Angina polypos. p. 25.



respondere, cui innascuntur et accuratam exhibere viarum effigiem, sicuti et aliae eiusdem generis concretiones polyposae, quae variis corporis humani in partibus reperiuntur, loci quem inhabitant, imaginem dare solent. Tamen etiam concretionum, in utero veluti in modulo formatarum ab Ill. MORGAGNI observatarum mentionem facit, et, recte addit, non omni exceptione carere eorum opinionem, qui uteri polypos omnes organicos esse affirmant t*).

§. V.

Dum vero idem pluribus scriptis eximiis clarus Autor eodem loco refert tubuliformes huiusmodi concretiones intestinis innatas, anno aliquando excerni, tuncque non raro pro ipsis intestinis haberi, id quidem pluribus passim observationibus confirmatum est u), sed si ibidem Ill. HALLERI explicatio x) allegatur, et ego attente hunc locum relego, video ibi non tam de concrementis polyposis prodeuntibus, quam

t*) Diversam utique densitatem et duritiem talia concrementa lymphatica admittunt, indeque oritur maior cum hac vel illa substantia similitudo, ut etiam ab hac similitudine denominata sint. Ita enim interpretor, quae de polypis lardeis, membranaceis, carnosis et tendineis lego. LANG. Oper. Part. II. p. 139. Part III. p. 206. Commerc. litter. Norimb. An. 1735. p. 61. Sed et partem cruoris immixtam detineri posse, non nego, unde eo maior nascitur cum carnosa substantia similitudo. Sic notus mihi erat vir qui singu-

lari encheirisi sanguinem suillum recenter emissum, quem in sacco linteo compresserat, fumoque induraverat, in talem massam transformavit, quae exacte agatum vel succinum nigrum referebat, durum, sed adeo scissilem, ut et nodulos inde ad firmanda vestimenta scalpello conficeret, qui, si humidis digitis leniter fricabantur, eos colore rubicundo inficiebant.

u) quarum plures collectas videoas in Ill. MORGAGNI de Sed. Morb. Epist. XXXI art. 20, 21.

x) Elem. Physiol. T. VII, p. 22.


quam potius de ipsa tunica villosa intestinorum secedente sermonem esse, idque potissimum iis ex verbis colligo, quibus dicitur: Epidermis per os et gulam in ventriculum producta, demum in intestinum propagatur, et tunica intima est. . . . Etsi nunc villosa mollior, obque villos alio praedita habitu, parum videtur de epidermidis natura habere, multas tamen et praecipuas eius notas retinet. Ut enim amissa epidermis restituitur, ita plurima sunt exempla hominum, quibus late de ano membrana villosa decessit, qui iidem tamen sensim conualuerunt etc. Ill. MORGAGNI y), quamuis caute concretiones tales polyposas tubuliformes a vera tunica excreta distinguat, tamen modum, quo hoc posterius fieri possit, distinctius explicat, dum, suam opinionem aperturus, credo, inquit, posse interioris tunicae intestinorum partem aliquam morbi vi separari atque excidere, haud aliter ac saepe videmus idem contingere a feruidiorum alimentorum contactu ei membranulae, qua oris partes conuestiuntur. Addit tamen, se hic de hac tantum membrana loqui, quam humorum acrimonia, aut post inflammationem superficiaria gangraena a reliqua *interioris tunicae* parte soluat, et recrementis secum abripiendam et deuoluendam relinquat: ut adeo ego hic desquamationem quandam lamellarum, aut, si de membranis hac voce vtilicet, exfoliationem quandam intelligam, nullatenus saltem ad concretiones polyposas referendam. Anceps magis est decisio obseruationis, quam Cl. Auctor adfert z) de tubulari concretione vrethrae innata, lethalis ischuriae causa, quodue membranaceum corpus, ipse per obseruationem scripsit - Cl. ANDRAE, pro vera naturali huius partis tunica interna,

B 2

gangrae-

y) loc. cit.

z) Cl. MICHAELIS Oper citat
p. 26.



gangraenae ope pristino nexu soluta habet, Cl. MICHAELIS vero ad concretiones polyposas refert, et gangraenam, quae vrethram et vesicae partem occupabat, non causam, sed effectum istius membranae fuisse, autumat, ei potissimum innixus fundamento, quod ischuria a praeternaturali obstaculo producta per sex hebdomadum tempus iam aderat, antequam ullum signum gangraenae adpareret.

§. VI.

Quodsi dubia quaedam remaneant circa veram' indolem huiusmodi concretionum in partibus supra dictis interdum natarum, eo certe maior erit certitudo, si de pulmonibus sermo fit; de pulmonibus, inquam, eorum hic intelligens, et omne cauum vasorum aëreorum a) et superficiem externam pleurae contiguam, nec male forte dixerit, qui et experientiam suam et aliorum inumeras obseruationes consenserit, non esse viscus aut partem corporis, quae frequenter huiusmodi concretionibus obnoxia sit, quam pulmones, nec difficile erit, huius rei caussas adferre. Iam enim ipsa superficies externa pleurae contigua rore lubrico semper irrigata est, qui vel propria sua qualitate b) iam ad ignem et calorem congulabilis est, vel cui facile, per pressionem aut alias saepe leuiores caussas, haec qualitas conciliatur c). Adsunt igitur particulae in cohaesionem mutuam aequa ac in adhaesionem ad partes contiguas pronae, quae, accendentibus caussis, non solum pulmones ad instar verae membranae tegant et vestiant d), verum

a) Consulto hic ommitto vasa c) Dominic. COTVNNIUS de pulmonum sanguisera, quippe quae Ischiade nervosa. Cap. I. p. 15. ad primam polyporum speciem §. 4. constitutam resero. d) Ill. de HAEN Rat. med.

b) Ill. HÄLER. El. Phys. T. III. Tom. II. p. 121.

verum etiam pleurae contiguae adnascantur, sique accretiones pulmonum producant adeo frequentes, ut, quantum ego obseruaui, vix prorsus in adultorum corporibus eius saltem deficiant vestigia, dum contra ea, nunquam eas in corpore infantum plus quam trimestrium inuenierim. Induxit forte haec accretionis pulmonum frequentia antiquiores scriptores, ut eam pro naturali haberent, et, praecipue si aliquam extensionem patiatur connexio, ligamentis pulmonum attribuerent e). Est scilicet, ait Cl. Auctor f), in sanguine nostro dispositio, qua materia, quae, postquam collecta fuerit, phlogistica purulentaque vocatur, a reliquis sanguinis principiis segregatur, viisque variis de corpore expellatur. Iam haec materia, vt pluribus demonstrari potest argumentis et experimentis, maxime lymphaticae est indolis et prosapiae, hinc si, quacunque de caussa, liber motus sanguinis per pulmonalia vasa turbetur, facile fieri potest, vt per parietes ipsorum horum vasorum in superficie decurrentium et nunc turgidorum, eadem materia per diapedesin transprimatur, in superficie colligatur, partibusque contiguis, pulmonibus nempe et plurae adnascatur, hasque partes connectat, non immerito sic ad polyposas concretiones referenda. Iam plurimas causas percurrenti, per quas liber sanguinis motus per pulmones impediri, saltem turbari potest, facile apparebit, vix esse adultum, qui non in vita sua saepius huius modi caussis expositus fuerit. Dum de adhaesione ad pleuram dico, non latera solum, sed omnem superficiem internam pulmonibus contiguam intel-

B 3

ligo,

e) Sic saltem intelligo verba A.D.R. simum,) a membrana qua tegitur SPIEGELII de Corp. hum. Fabrica Pulmones connectuntur septo quibusdam nexibus, (notatu dignis- pleura, qui si breviores sint, disper- noea incurabilis insequitur.

f) Ill. de HAE N loc. cit. p. 21.

ligo, quos scilicet hisce partibus vitiōse adhaesisse, innumerae docent observationes, ut adeo non prorsus fundamento destituatur eorum sententia, qui frequentiorem quoque risum seu cachinnum potius g) inter causas referunt, si quis considerauerit quam violenter in cachinnante placida respiratio turbetur.

§. VII.

Quae hucusque de superficie externa pulmonum materiam concrecentem exsudante dicta sunt, pariter in superficiem internam arteriae asperae et reliquorum vasorum aëreorum quadrabunt, ita tamen ut mihi membrana interna, glandulis felliculosis, mucum secerentibus scatens hic quoque respicienda videatur. Solent nomine polyporum bronchialium has concretiones designare. Non mihi hic sermo est de concretionibus sanguinis congrumati post haemoptoē in vasa aërea effusi, ramorum numero saepe polypos imitantibus, interdum in phthisicis, dum vasa per acrimoniam puris eroduntur, excretis, licet etiam hæ, nec in vasis arteriosis nec venosis, quippe quod vix fieri potest, sed in arteria aspera hanc figuram induant, vel in eam compingantur. In iis potius subsisto concretionibus polyposis, quae, absque praeuia sanguinis effusione, in arteria aspera eiusque ramis oriuntur, et maxime lymphaticae tum etiam mucosae prosapiae sunt, atque sic Clarorum Virorum sententiae conciliari posse mihi videntur. Licet enim Cl. MICHAELIS in distinctissima sua Anginae polyposae seu membranaceae, ab huiusmodi concretionibus in vasis aereis oriundae, descriptione, solide differentiam inter mucum et lympham doceat b), multisque argumentis probet hanc posteriorem praecipue concretionibus materiam suppeditare,


g) ILL. MORGAGNI Oper, cit. b) pag. 63. sqq. Oper, cit.

tare, tamen et alias materias vel adesse materialemque causam constituere posse non improbatum est. Confirmat id sententia Ill. CALLISEN, quam ex Act. Haf. Cl. Autor ad fert *i*), quamue verbis ipsis hic inserere non intempestiuum iudico. Tales, inquit, concretiones non solum ex *muco* catarrhali, verum etiam ex crusta aphthosa omnes tracheae canales obsidente, formari posse autumo. In pluribus certe cadaueribus interdum asperae arteriae superficiem simili crusta obductam inueni, qua ablata ipse canalis satis sanus apparuit. Denique mucus purulentus, in viscerum inflammationibus transudans, etiam in simili viarum respirationis affectione, eiusmodi pseudomembranam producere valet. Vnde mihi non absorum videtur, morbum nostrum, vel ad anginam inflammatoriam, vel catarrhalem, vel ad aphthosam referre etc. Nec forte male mihi hic analogiam quandam cum sputis peripneumoniaeorum inuenire videor, quippe quibus tum lympha phlogistica cocta, tum mucus naturalis arteriae asperae, tussis violentia excussus excernitur. Sic Ill. MVRRAY *q*) docet, eiusmodi concrementa ramosa non ex sanguine tantum coagulato (sine dubio post praeuiam haemoptoën), sed etiam ex *muco* arteriam asperam illiniente, vitiose spissato oriri solere, et ad eorum naturam eam accedere membranam aduentitiam, quae in angina *Croup* dicta, bronchia inuestit. Atqui hic est ipse morbus, quem Ill. MICHALIS sub nomine Anginae membranaceae describit, et rectissime, multum ab angina aphthosa differre, docet. Verum dum subiicitur *r*), non facile posse mucum in corpus solidum mutari, quod idea loci non respondeat, quem membrana occupat tepida, a perpetua

i) p. 65.

bronchiorum. Comment. Lips. T. XX. p. 611.

q) in *Commentatione de Polypis**r*) pag. 62.



petua muci copiosique seri concretione ortum trahens humitas, ita, ut facilius comprehendendi possit, quomodo in tali loco mucus iam induratus resolui, quam quomodo fluidus in firmum corpus mutari possit, prouocare forte alicui liceret ad mucum narium, qui sat fluidus secretus, sed amissis per aërem abripientem, particulis aqueis, in thrombos non solum, sed et in lemas et quasi membranas tenues et pellucidas, ipsa etiam fluente coryza, inspissatur.

§. VIII.

Mixtas itaque esse posse huiusmodi concretiones, varia docent et argumenta et exempla, priora quidem ex ipso loco, organis mucum secernentibus referto, in quem utique, accedente maiori pressione aut irritatione, et lympha effundi potest, petenda; posteriora vero, quibus docetur, partem concretionum in aqua facile secedere. Sic Cl. WARREN r*) historiam aegrae refert, quae glandularum obstructionibus obnoxia, respiratione diffcili adfecta, die morbi duodecimo reiiciebat polyposam concretionem, sine sanguine, pure et *muco*, qua quidem excretione facta, ea melius se habere videbantur, sed respiratio difficultis, et celerior pulsus denuo obseruantur, et noui semper polypi ad alterum usque annum excrenebantur. Interualla morbi interdum obuenientia a mutatione situs polypi, pulmones minus prementis, declaranda sunt. Materia excreta alba, opaca erat, coagulato lacti similis; aliquae vero concretiones densiores erant, in aqua non soluendae, aliae laxiores, in ea facile secedentes, interdum *muco* adiecti erant globuli densiores pisiformis figura. — Non tamen possum, quin verbulum circa hanc observationem adiiciam, dum scilicet Cl. Autor supra dicit, concretionem

fine

*) Comment. Lips. Tom. XVII. p. 208. Diff. de Polypo bronchiali.




fine muco excretam esse, in fine vero addit globulos! densiores muco adiectos fuisse, videtur quasi effatum suum mutare, quod tamen ita mihi explicò, sub ipsa excretione non apparuisse mucum visibilem, materia vero in aquam proiecta secessisse, globulosque densiores continuisse, qui quidem globuli mihi ex ea substantia nati videntur, quam B. L V D W I G I V S s) glutinosum spontaneum vocat, et quales ipse pluries tum post diuturnam tussin, tum in eo intestinorum rheumate, quod non satis apto nomine haemorrhoidum albarum denotatur, excerni vidi. Dum igitur Ill. DE H A E N t) refert, virum sexta die pleuritide mortuum, materiam albam, densam, oblongam, ramosam, tussiendo eiecisse, arteriae habentem figuram, praecise vt T V L P I V S Lib. II. Cap. 13. tab. 3. describit, figuraque exhibet, quae tussiendo erecta, verum vas ab ipso credebatur etc. et tum porro u) subiungit: eandem materiam in vasis sanguiferis mistam inuentam esse cum sanguine in arteriis pulmonalibus; eandem inuentam esse transudando externam crustam formasse; inuentam denique in cauis bronchiis, transudando stagnandoque ramosa illa corpora produxisse etc. id vnicum mihi dubium nascitur, an prorsus pro eadem omnis haec materia haberri possit, dum scilicet non fit in superficie pulmonum externa transudatio materiae mucosae, sed lymphathicae, in superficie vero interna arteriae asperae largior fit huiusmodi materiae mucosae excretio, quam ergo lymphae per diathesin phlogisticam concretae immisceri posse facile perspicitur.

§. IX.

s) Dum lympha nutritia vitiata Instit. Pathol. §. 162. Hanc sine minimis solidis apponi nequit, in varia colatoria organa convertitur et sub specie ponderosae et pellucidae pituitae ex corpore excernitur.

t) Rat. med. T. II. p. 128.

u) p. 129.



§. IX.

Nec prorsus inutilem aut superfluam in ipsa medendi arte hanc, de indole et substantia polyporum bronchialium quaestionem esse arbitror, quippe cuius decisio certa ad adhibenda seu coniungenda debito modo remedia viam nobis indigitat. Non enim prorsus eadem sunt remedia, quae dissoluendi mucum inspissatum vi pollut, cum iis, quae lympham phlogistieo lentore concretam attenuant. Verum maximam partem huius substantiae de lymphatica esse profapia, persuasum mihi habeo, eoque magis, dum lymphae quiescentis ad putridam corruptionem subeundam proclivitatem ^{x)} perpendo, quam ipse mihi experiri visus sum, in similibus morbis materiae excretae singularem observans nidorem fatuum, nauseabundum et quasi situlentum. Neque tamen, quae hucusque dicta sunt, omnia ad eas concretiones polyposas exacte applicare auderem, quae in iis cauis et canalibus generantur, qui proprie sanguini vehendo destinati sunt, neque in eos penitus ea quadrarent, dum supra de transeunte, mucumque inspissante aere in vasis aereis mentionem feci. Enumerat haec caua Ill. LE GORTER ^{y)} et venam cauam, venam pulmonalem, arteriam aortam, arteriam pulmonalem, et ipsos ventriculos et auriculas cordis indicat, quibus tamen Numero sequenti etiam venas ingulares et carotides arterias subiungit. Verum non plene perspicio quin Vir Cl. omne Systema Vasorum sanguiferorum addiderit, cum vix satis appareat, quare non in omnibus his vasis, si adsit dispositio, et caussae accedant, huiusmodi concrementa generari possint. Ipsi quoque hic concretiones tales vermiformes in sinu falciformi durae meningis, in vena thyroidea, in vena

sub-

^{x)} Ill. MICHAELIS Oper cit. ^{y)} Medicin. Compend. Tr. quadr. p. 64. Sec. Num. 8.

subclavia, in vena crurali, et praecipue unam in origine arteriae cruralis inuenimus, parieti huius arteriae sic accretam, ut veram valuulam mentiretur, eo vsque ut etiam ingressui, styli ferrei sat valide resisteret, antequam perrumperetur; quae mihi observatio difficultatem peperit in explicando motu sanguinis per hanc arteriam, nisi quis dicere aut supponere velit, utrumque extreum huius concretionis adnatum fuisse juxta longitudinem parieti arteriae, et superius casu quodam breui ante mortem, vel etiam in aduertenter, cum hoc concrementum inexspectatum esset, ipso stilo ferreo abruptum fuisse, sicque deorsum detrusum valuulae formam exhibuisse.

§. X.

Insunt scilicet fanguini particulae, quae dispositae sunt ad concrescendum, nisi debito in motu ipse sanguis conservetur. Ita Ill. DE GORTER^{a)}: sanguis stagnans aut minus agitatus per vasa, in corpore nostro concrescit, praeprimis autem in vasis maioribus, quod particulae sanguinem constituentes tanta potentia cohaerendi sunt praeditae, quae non potest superari nisi sola circulatione etc. recteque alio loco *a)* praemisit circulationem solam esse quae in fluore conseruat sanguinem, cui tamen ego addere vellem circulationem debitam et naturalem; nam illico subiungitur, ex minori circulatione spontaneam viscidi generationem oriri, diathesin vero phlogisticam ex circulatione aucta. Videtur quasi hic duplex ille lensor indigitari ex contrariis caussis oriundus, lensor scilicet frigidus et phlogisticus, quem eleganter his verbis describit et distinguit Ill. VAN SWIETEN *b)*: Duplex imprimis in liquidis nostris viscositas obseruatur, per


C 2

quam

a) loc. cit. Num. IV.

b) Commentar. Tom II. §. 663.

a) ibid. Tract. XXXI. Num. X.



quam redduntur immeabilia, vna, quae a defectu vel inertia motus vitalis fit, quam frigus, pallor et tumor leucophlegmaticus corporis comitari solent; altera. quae ab aucto motu vitali, et valida actione vasorum in contenta liquida pendet, per quam compacti nimis et densi redditum humorēs difficilius per ultimas vasorum angustias transeunt; haec vocatur viscositas inflammatoria, quam calor et rubor corporis impennis adesse docent etc. Videtur quidem hic prior viscositas praecipue partium mucosarum, posteriori seu lymphae magis in concretionem procliui opponi, nec id prorsus inficias ire auderem. Verum si de concretionibus praeternaturalibus in causis sanguini vehendo destinatis sermo est, vtrumque aliquo modo in lympham sine dubio applicari potest, quarum particulas maxime ad cohaesionem pronas esse, supra demonstratum est. Licet enim in polypis bronchialibus mucum accidentem volumen augentem adesse posse concesserim, alia tamen in polyposis vasorum sanguiferorum concretionibus ratio est. Dantur quidem in sanguine multae particulae mucosae, tales scilicet, quae in glandulis folliculosis secretae, in spissiorum stagnando abeant consistentiam, id quod maxime in organis fit, quae aer externus inspiratus attingit, tenuissimas particulas aqueas absorbens; vix enim mucosae, sed maxime aqueae indolis est perspirabile pulmonale. Nolle tam in solo aere muci inspissati quaerere caussam, memor muci benefici ventriculi, cuius sunt organa secretoria glandulae de cryptarum genere c), simplices rotundae, lenticulares, membranaceae, cauae, breui ductu per villosam productae, sedentes in cellulosa tertia d). Talis est mucus superficiem internam intestinorum, vesicae vrinariae etc. tegens et defendens.

Esse

c) WINSLOW Expos. Anat. d) Ill. de HALLER Elem. Phys.
Tom. IV. p. 27. art. 63, Tom. VI. p. 140.

Esse quidem etiam potest particulis, e quibus mucus præparatur, sua ad mutuam cohaesionem procliuitas, quae vero maxime stasi et quiete tandem efficitur, et tum pressione glandularum, tum transudatione liquidissimarum et tenuissimarum particularum promouetur, quae tamen non ad lympham, quae etiam validissimo sub motu, et in sanguine e venis effuso, et corpore ramoso vel in lagena, ad modum Ill. DE HAEN e), conquassato coeat, applicari non possunt.


§. XI.

Ad lympham igitur potissimum, si de materia huiusmodi concretionum polyposarum sermo sit, respiciendum esse videtur, eiusque ad cohaesionem procliuitatem, si quid accesserit, quod hanc cohaesionem non impedit. Circulationem esse, quae sanguinem in fluore conseruat, sic scilicet particulas concreturas separatas tenet, ut praeter naturaliter concrescere et cohaerere non possint, et circulationem maiorem et minorem concretionem talem efficere posse, supra dictum est f); hinc facile patet, moderatam saltem, iustum et naturalem debere esse circulationem, quae sanguinis fluiditatem conseruet, dum et motus suminus et validus, et minimus motus, qui proxime ad quietem accedit, et quies ipsa lymphaticarum particularum concretionem producere potest. A motu sanguinis valido per vasa sua potissimum pendere et augeri calorem, eleganter explicat Ill. VAN SWIETEN g), dum, ab hoc attritu, inquit, partium inter se et ad latera vasorum calor oritur. Demonstratur euidenter, quia simulac sanguis quiescit, perit omnis calor, et reddit sensim corpus ad frigus communis atmosphaerae; dum augetur sanguinis mo-

e) Rat. med. T. II. p. 125.

f) Ill. de GORTE loc. cit.

g) Comment. Tom. I. p. 143.



tus per valida exercitia vel febrim, calor augetur; in debilibus, vbi sanguinis circulatio languet, frigus semper adest etc. Ad caloris igitur praecipue effectum in partem sanguinis conglobabilem, sine dubio attendendum, qui si a naturali recedat, eam facile ad concretionem perducit. Verum singularris hic quasi obseruatur inter contrariorum effectus conuentientia. Quodsi enim gradus caloris is sit, vt multum calorem naturalem sanguinis humani superet, pars sanguinis coagulabilis breui tempore consistet et in gelu coabit, quod prolixe et multis scriptorum experimentis docet Ill. HALLE-RVS b), vbi simul hi effectus variorum caloris graduum exacte indicantur. Sed et idem fere est caloris effectus, qui longe minor est gradu caloris hominis sani, aut qui ad calorem atmosphaerae accedit. Non enim nunc de intensissimo frigore et inde pendente vera congelatione seu in glaciem mutatione loquendum est. Ipsa enim membrana phlogistica in sanguine pleuriticorum modo emisso, sub ipsa quiete, et calore sic omni momento decrescente coit, et in massam abit, quae sane antea in vita nondum talis adfuit, cum fieri non potuisset, vt ea vel per vascula cerebri vel pulmonum transiret. Sic Ill. DE HAEN i): non detegitur, inquit, mortuorum in cruento materies, quae tamen ante in eodem praefens esse debuerit, quaeque sub mortem extremis vasculorum osculis transfudans, circum viscera omnia, vitalia, naturalia, animalia, crustas densas lardoque similes formet etc.

§. XII.

At vero hunc frigoris seu saltem caloris ad calorem atmosphaerae accedentis effectum ita mihi explico, vt semper auctam quandam lymphaticarum particularum ad concrescendum

b) El. I. hys. Tom. II, p. 124, 125.


i) Rat. med. T. II. p. 17.

dum procliuitatem iam antea adfuisse iudicem. Quodsi itaque, vti dictum est, fluiditas sanguinis, id est aequalis mixtio particularum, a debito et placido motu progressuo, et inde quoque calor naturalis pendet, non difficulter perspicio, quomodo, mutato hoc calore naturali, fluiditas quoque immiuatur, et particulae iam in cohaesionem proclives, sese multuo excipient, inque firmorem consistentiam abeant. Adesse sic potest ea in sanguine dispositio, quam medici diatherm phlogisticam vocant, et accendentibus caussis motus sanguinis vehementer imminui aut plane subsistere, coire tunc quoque posse has particulas, nemo mirabitur. Factum inde, vt sollicite medici huiusmodi concretiones polyposas, quae iam dudum antea adfuerunt, variisque se symptomatibus manifestarunt, ab iis distinguerent, quae adproquinquante morte l), vel forte post ipsam mortem, generatae sunt. Ita enim Ill. MORGAGNI m): Polyporum materia et structura adeo illius similis, quae in crusta sanguinis obseruatur, et crustae in superiore parte quiescentis et frigefacti sanguinis quotidie propemodum visa efformatio medicis dubitationem iniicere debet, num polypi diu ante mortem, an potius post mortem coalescant. Subiungit, demum quanti ex neglecta hac cautione errores circa morbi aut mortis caussam oriri possint, his verbis: fuerat aliquis infirma et saepe etiam aegra valetudine quindecim aut viginti ipsos annos. Si in mortui demum corde repertus polypus fuisset, hic iam inde ab initio existisse, et perpetuus omnium malorum auctor fuisse dicebatur. Idem pariter accusabatur, post morbum deprehensus celeriter necantem, cum tamen aliae mortis caussae conspicerentur. Necessariam hic cautionem esse, facile perspicitur, dum vix co-

gitari

l) ibid. pag. 123.

m). de Sedib. Morb. Epit. XXIV.
art. 27.



gitari potest, insignem huiusmodi concretionem adesse, neque tamen ullam inde transfluenti sanguini remoram iniici, aut aliquam motus sanguinis turbationem oriri.

§. XIII.

Fateri quidem oportet, pro diuersitate cauorum, quibus hae concretiones insident, num scilicet sit alterutra auricula vel ventriculus cordis, vel arteria aorta vel pulmonalis, vel alterutra vena, aut aliud quoddam vas insigne, vel plura simul, aliquantum etiam diuersa exhiberi signa et symptomata, in eo tamen haec conuenire oportet, quod praecipue a libero sanguinis transfluxu turbato oriantur: nec singulae hae diuersitates nunc mihi enumerandæ sunt. Ita in genere Ill.
DE GORTER n) de corde loquitur, adiectis nonnullis aliis vasibus, dum ait: in corde haerens eius integrum euacuationem et sufficientem sanguinis receptionem non admittit; cor palpitat, pulsus fit inordinatus, intermittens, sentitur anxietas, maxime si circulatio ab alia caufsa velocior fiat, vt in motu corporis et aestu febris. Si sit in vena cava (sine dubio superiori) vel iugulari regressum sanguinis a capite impediens, caput redditur graue et tumens, et omnia fiunt, quae ex abundantia sanguinis in capite fieri solent. Si vero haeret in arteria carotide, fiunt vertiginosi, facile animo linquuntur; si portio eius abrumpatur, protrudaturque breui tempore apoplectici pereunt, nulla arte curandi: si haeret in arteria pulmonali, cor quoque palpitat, et anxii sunt, portio eius separata et propulsa in arteriam, subito suffocat hominem etc. Conueniunt fere scriptores in allegandis indiciis, e quibus ad huiusmodi concretionum praesentiam argumentari licet, e quibus tamen non satis clare ipsa mali


sedes

sedes dignoscitur. Debilitas, inquit Ill. DE HAEN^o, o) et inaequalitates pulsuum, cordis motus palpitans, manifesto percepta cordis ad thoracem pulsatio, anhelitus ad loquelandumque, debilitas vniuersa, cacochymia, saepe color faciei purpureus iis in locis ubi cutis deest, immo et aliquando per totas genas et frontem, polyporum in vita praesentium suspicionem formant etc. Polyporum hic in genere dicit, neque signa peculiaria recenset e quibus praecipue caua, quae sedes sunt concretionum, dignosci possunt. Et licet forte non magnum in miserum aegrum inde redundat emolumenntum, aut medelae spes maior affulget, etsi quam distinctissime sedes dignoscatur, symptomata tamen eo clarius explicantur. Non distinete, quod mihi faterendum est, perspicio quid Ill. SAVVAGES p) sub signis dilatationum in ventriculis intelligat, si ductus arteriosi polypo obstruantur, et dilatationum in auriculis si ventriculi polypo obsideantur. Nam etsi res ipsa certissima est et perspicua, ventriculos sanguinem in arterias concretionibus obseffas libere evacuare non posse, sicque sensim extendi, et similiter, si ventriculi polypis ex parte repleti sint, auriculas non omnem sanguinem in eos effundere posse, hincque successiue dilatari, tamen ipsa haec dilatationis signa mihi non sunt satis manifesta, dum scilicet pondus in parte, anxietas incredibilis, pectoris oppressio, a motu corporis crescens, allegantur, et illico subiungitur, polypum in auricula vel ventriculo sinistro maiorem dyspnoeam inducere quam eum qui in dextro est, quod is, qui vasorum pulmonalium originem et ingressum considerauerit, facile perspiciet. Verum haec signa cuncta sunt maxime frequentia et communia omnium concretionum

poly-

^o) Oper cit. Tom. II. p. 123.

^p) Nosoph. method. T. III. p. 61.



polyposarum in cauis cordis vasisque maioribus adnexis; hinc neque video cur Vir. Ill. sub Nro. 5. Palpitationem a polypo, sub Nro. 6. a Palpitatione a polypo in cordis sinistra parte distinguat.

§. XIV.

Quodsi itaque tam insignia adsint impedimenta, quae liberum et naturalem sanguinis motum per caua cordis et vasa majora sufflaminant, nemo mirabitur singulares inde in pulsu anomalias oriri debere, quae si continuae sint, et, quibusdam tantum caussis accendentibus, exacerbentur, non iustum nobis suspicionem mouebunt, esse circa cor et vasa maiora peculiarem quandam huiusmodi degenerationem, dum ex constantia effectus ad constantiam caussae non male argumentamur. Verum huiusmodi degenerationes etiam in aliis vitiis organicis, ut valulis cordis offescentibus, arteriis majoribus aneurismaticis consistere possunt, quibus similiter naturalis actio cordis, vasorumque et repletio et depletio turbabuntur, satque similia, quae inde pendent, producentur et aderunt symptomata, ut adeo difficilis nec valde certa sit concretionum polyposarum ab huiusmodi vitiis diagnosis, nisi anamnesis ratione originis, de qua mox dicetur, aliquam rei addat certitudinem. Conueniunt tamen scriptores praecipua concretionum polyposarum signa in huiusmodi pulsus anomaliis constituentes. Sic FRID. HOFFMANNVS signa enumerat: A motu corporis validiori et scalarum adscensione, vel ubi sanguis leuissime commouetur, protinus cordis palpitatio inualecit, fit ingens circa precordia anxietas cum pulsu debili et inæquali, quandoque etiam plane *intermittente*, spiritus trahitur ut suffocationis non raro sit metus, saepiusque animi junguntur deliquia q).

Dum

Dum vero Vir. Ill. subiungit: quando polypus in eo loco, vbi firmiter accrevit, immotus quiescit, nullam observamus palpitationem, quodsi vero a loco suo avulsus libere in cordis ventriculis fluctuet, hinc forte vna cum sanguine in vas sanguiferum patulum propellatur, firmiusque in id adigatur, ita ut plane occludatur, et hac ratione sanguinis transfluxus impediatur tam diu donec istud repagulum rursus soluatur, tum non modo pulsus arteriarum plane *intermittit* atque silet, verum obstructis sic vasis et continuante perpetuo ad dextrum cordis thalamum affluxu, stagnat crux in hoc ventriculo, ipsum distendit, atque sic musculum cordis ad vehementissimam sui concussionem, quae est *palpitatio proritatem*, non prius cessantem, quam donec iter aliquomodo sanguini liberum restituatur etc. — sicque palpitationem cordis et pulsus intermissionem auulsioni polypi a loco suo ejusque in vas sanguiferum propulsioni tribuit, non exiguum mihi circa hanc explicationem dubium nascitur, dum scilicet per multos saepe annos hac palpitatione et intermissione pulsus aegri vexentur, nec facile dictu sit quomodo polypus in arterias intrusus toties repellere possit, et de portione saltem eius separata et propulsa in arteriam, eam subito suffocare hominem dicat Ill. GORTERVS r).

§. XV.


Pathognomonicum signum, quod raro in morbis haberi posse docet Ill. MORGAGNI^{s)}, sane etiam hic difficulter invenietur, quo scilicet concretionis polyposae praesentia ab aliis cordis vasorumque majorum vitiis dignoscatur. Nam neque carotidum et subclaviarum arteriarum pulsationem ve-

D 2

hemem-

r) loc. cit. art. IX.

^{s)} de Sed. Morb. Epist. XXIV.
art. 28.



hementiorem pro tali admittit, quam etiam obseruauerit in viro, cuius pulmo dexter ab effuso sanguine nigrescebat, cor mole auctum absque polypo, et magna arteria aneurysmatica et squamulis osseis intus obiecta erat *t*), et in muliere cuius cor saltem aliquanto maius, valuula mitralis maior perforata, et superficies interior Aortae lineis subobscuris notata, tunicaque interna marcida et facile digitis avellenda erat *u*). Addit porro Vir. Ill. se neminem fere eorum legisse, a quibus polypi indicia sunt commemorata, qui inter haec intermittentem, saltem inaequalem pulsus non ponebat, cum tamen ei acciderit, sine praegresso hoc signo invenire polypos, aut cum hoc signo non invenire. Adeo perspicua tamen est explicatio et palpitationis cordis et intermissionis pulsus a concretionibus polyposis productae, ut fere magis mirandum sit, eas in hoc morbo abesse posse. Quodsi itaque et ipsum hoc signum non plenariam suppeditat certitudinem, eo minus haec ab aliis signis et symptomatibus minus certis exspectari poterit. Sic Ill. JOERDENS *x*) ingenue fatetur, omnia illa signa ab auctoribus adducta, ad cognoscendum polypum iam factum, etiam collectiue sumta non sibi sufficere, ut inde certi quid de eius praesentia statui queat. Etsi vero de polypi praesentia non semper adest certitudo, huiusmodi tamen anomaliae pulsus non vanum de alio quodam vitio organico circa cor metum iniiciunt. Sed et hunc metum valde imminuit Perill. DELIUS *y*), et huiusmodi turbas etiam a cruditatibus primarum viarum, transpiratione imminuta, aliisque caussis prouenire posse,

t) Epist. XVII. art. 23.

u) Epist. XXIII. art. 6.

x) Act. Nat. Carios. T. IV. Appendix. N. 5.

y) in elegantissimo scripto quod nuper prodit: vom aussetzenden Puls, einigen andern Pulsarten und An-gelegenheiten des Herzens p. 82. sqq.

posse, tum rationibus tum exemplis prolatis probat. Sed et a pathemate prouenire posse, eo minus dubitandum est dum ibidem verba Ill. MORGAGNI z) allegantur dicentis: quid est intermissio pulsus aliud nisi asphyxia breuissima, aut quid asphyxia nisi intermissio diutissime durans? Asphyxiā vero a pathemate oriri posse sat notum est, recteque Ill. SAVVAGESIVS, dum eam iuxta cauſas in varias species distribuit a), quoque Num. 7. Asphyxiā a Pathemate, variaque exempla ad fert. Sed et intermittentis pulsus valde notabile, ut mihi videtur, exemplum lego b) eruditī medici, qui cum forte animaduertisset, sibi pulsum intermittere, ipſe autem inde anxius atque sollicitus, quasi id fortuita ex cauſa esse non posset, identidem, vt fit, digitos ad carpum admoueret, crebriorem semper, suo maximo cum moerore, fieri intermissionem sentiebat: idem, cum suadente medico alio, multo rarius sibi pulsum tentaret, eoque minus suum de his angorem animi augeret, multo rarior intermissio facta est, donec ipso tandem neglectu prorsus euanuit.

§. XVI.

Frequentes vero palpitationes et pulsus anomalias a concretionibus polyposis oriri posse, licet hae ne in ipso quidem systemate vasorum sanguiferorum lateant, sequens probat obſeruatio c) Cl. DALBY de foemina, quae dyspnoea correpta, quarto morbi die, duo frusta massae carnosae tussi expuit, quorum ultimum in extremitate superiori digitum, in inferiori vero calatum scriptorium crassitie aequauit, tres-

D 3




que

z) Epist. Anal. XXIV. art. 20.

b) Ill. MORGAGNI loc. cit.

a) Nosol. Method. Tom. III.
p. 406.

c) VANDERMONDE Jurnal de
medicine Tom. XI. p. 42. Comment.
Lips. Tom. XI. p. 246.



que dígitos transuersos longum, substantia solidum atque interne et externe album neque cauum fuit. Ceterum hinc inde radices quoad crassitatem diuersae exierunt. Hanc concretionem in trachea vel in principio bronchiorum formatam et longe ante exortam fuisse, recte iudicatur, cum e corde tussi ejectam esse, nullo modo cogitari possit. Aegra a teneris pallida, *palpitatione cordis*, pectorisque oppressione continua laborabat. Aderat ergo hic polypus sed bronchialis cum palpitatione cordis, quae praecipue inter signa polypi cordis numeratur. Memor igitur eorum quae Ill. SAVVAGESIVS monet ^{d)}, obseruandam esse, maximam partem polyporum, qui in cadaueribus reperiuntur, in agone mortis ortum duxisse, coagulata aut concreta sanguinis lympha, ut sanguis pleuriticus in patella coaguletur etc. et polypos qui dudum ante mortem adfuerunt, ab iis qui breui ante vel post mortem generati sunt, distincturus, praecipue ad id attendrem utrum signa illa et symptomata maxime frequentia dudum ante adfuerint, et interdum maiori interdum minori veherentia sese manifestauerint, e quibus praecipue de polypis suspicio mouetur, quodsi enim tunc in mortuo corpore concretiones polyposae inueniantur, eas dudum ante adfuisse, iisque symptomata adscribenda esse, nullus dubitarem. Secus se res haberet si nunquam in tota vita aliquid observatum fuisset, quod praesentis polypi suspicionem mouere posset, qui si post mortem inueniretur, sane mihi sub hac ortus et subsecutae mortis insons videtur. Sic foemina illustris propriae, tenera quidem, et olim passionibus hystericis vexata, in puerperio inflammatione uteri corripitur cui succumbit. Miratus ego, dum in ventriculo sinistro polypus calamum scriptorium crassitie aequans repertus esset, in hunc a non nullis

^{d)} loc. cit. p. 62.

nullis medicis culpam mortis conjectam fuisse. Ipse ego in puello bimestri conuulsionibus extincto in arcu aortae insignem polypum inueni.


§. XVII.

De nullis signis apparentibus antea dictum est, quippe quae nullum olim adfuisse polypum testantur, a quibus tamen signis ea distinguo, quae interdum apparent, interdum disperant, et quae non male hanc ob caussam transitoria vocantur. Cum enim vix fieri possit, concretiones huiusmodi densas breuissimo tempore formari atque iterum dissolui, rursusque alias generari et fundi, et sic symptomata modo aedesce, modo eunescere, haec certe ab aliis quibusdam caussis prouenire necesse est. Refero huc praecipue intermissiones pulsuum, seu asphyxias illas momentaneas, atque in has maxime quadrant, quae Perill. DELIVS de pulsū intestinali, a vitio scilicet primarum viarum oriente dicit e). Non igitur sine examine praetermittendas esse caussas huius vitii, monet Ill. MORGAGNI f), quo tantopere plurimi terrentur medici, saepe merito, nec raro tamen praeter rationem, veluti cum in ventriculo aut intestinis subest caussa, quae aut per se eunescere aut facile a medico tolli possit. Quo enim modo a flatibus intestinalibus cordis palpitatio fit interdum et soluitur, eodem quoque aut non ita dissimili pulsuum intermissione efficitur aliquando et per se abit. Alias iisdem in visceribus materia est, quae idem faciat irritando eorum neruos, quibuscum facile nerui cordis consentiunt etc. Nec adeo rara sunt exempla huiusmodi transitoriae pulsuum intermissionis, quorum nonnulla et ipse obseruaui, unumque mihi maxime notabile visum est. Vir sexagenerius, obesus,

variis

e) Oper. cit. pag. 47. pag. 48.

f) Epist. XXIV. art. 20,



variis passionibus abdominalibus, quas ille hypochondriasi, ego magis cibis largis et opiparis et vitae sedentariae attribui, vexatus fuit, in quarum summa vehementia adeo frequens adfuit pulsuum intermissio, ut post binos quosque aut ternos ictus una perciperetur intermissio, quamue aeger ipse mihi pulsum tactu exploranti, nutu capitis semper et iuste indicauit, et ex eo quaerenti unde hunc ictum intermittentem cognosceret, respondit, sese exactissime sentire quasi quis, duabus palmis momento citius cor comprimeret. Usu tamen remediorum euacuantium et carminatiuorum, praeципue aquarum mineralium conualuit optime, perque plures annos pulsu maxime regulari athletice valuit. Irrita hic sane fuisset de polypo praesente suspicio. At alium noueram virum honestum, qui per plures annos de acerbissimis circa cor sensationibus conquestus erat, et in quo perpetuae erant pulsuum variabilitates, et anomaliae. Asseuerabat is sancte, innumerisque vicibus se polypo cordis laborare, et locum sedis quasi digito indicabat. Amici, seu quod fidem ei non haberent, seu vt animum eius erigerent, eum deriserunt, eosque ut insulso et intempestiuo ioco ipsum virum polypum dictitarent. Verum subito tandem extinctus in utroque ventriculo cordis insignes concretiones polyposas exhibuit, quorum una aortae infixa sine dubio mortem repentinam intulit. Recta sic fuit miseri sensatio.


§. XVIII.

Etsi quidem facile perspicitur qui fieri possit, vt turbata huiusmodi a caussa, actione debita cordis, etiam reliquae functiones in oeconomia animali successiue turbentur, variaque sic oriri et superuenire possint symptomata, et praecipue

cipue facile explicandum videatur, quomodo obstru^to ex parte saltem vno canali maiori, sanguis vi ventriculorum eie^tus in alios canales maiori impetu irruat, aut ex iis diffi- cilius refluat, sicque haec magis extendat, disrumpat, et effusiones sanguinis variis in locis producat, tamen, quod miror, pauca huiusmodi haemorrhagiae symptomaticae exempla inueni, aut me obseruare memini. Notabilem tamen casum lego g), quem, cum me etiam ad caussas ducat, pauci^{ll}imis hic excerpere, non intempestiu^m erit. Vir triginta annorum, sub magno aestu, longum iter pedes emetitur, tandemque sudore diffluens et lassus diuersorum ingreditur, et illico poculum frigidae cereuisiae auide ingurgitat, post quam statim male habuit, dum appetitus prosternitur, omnibus membris languet, facies pallet, et habitus antea floridus nunc cachecticus apparet. Nihil proderant remedia adhibita destinata roborando ventriculo, a cuius cruditatibus et debilitatibus morbus oriri putabatur. Elapsis aliquot hebdomadibus aeger repente dolorosa et anxia circa praecordia constrictione corripitur, vt cor disruptum sibi iri diceret, asth- mate praeterea suffocatorio, cordis tremore et palpitatione intollerabili. Incassum vena secatur, sanguine apparente phlogistico, clysteres, temperantia, antispasmodica adhiben- tur. Superuenit mictus cruentus uberrimus cum vrente do- lore, tandemque aeger subito exspirat. In corpore aperto omnia viscera sana nullum nec morbi nec mortis caussam ostendunt. Tandem in ventriculo cordis dextro polypus in- uenitur per arteriam pulmonalem excurrens, quatuor et se- miunciam longitudine aequans, auriculari digito crassior, qui copiosis ramificationibus ad latera arteriae protendebatur.

Ab

g) Commerc. litterar. An. 1742. p. 109.



Ab hoc polypo arteriam pulmonalem infarciente, non iniuste
mictum cruentum deducit Cl. obseruationis autor. Ego qui-
dem id mihi sic explico, vt non tam a maiori sanguinis in-
renes impulsu, quam a diffcili eius e renibus refluxu hanc
haematuriam ortam esse concludam. Arteria scilicet pulmo-
nalis concretione polyposa maximam partem repleta, exi-
guam sic quantitatem sanguinis per vasa pulmonalia distribuit,
quae igitur pauca quantitas in auriculam et ventriculum fini-
strum refluxit, inde in aortam pulsa parum hanc, eiusque
ramos, ergo etiam renales stimulauit. Eadem contra ea haec
arteria pulmonalis sanguini e ventriculo dextro eiiciendo re-
stitit, hinc etiam auricula dextra depleri nescia aegre sangu-
inem e vena caua inferiori admisit, quae ergo cum ramis
suis, ergo etiam renalibus magis distenta, e ramulis forte
per rixin apertis, sanguinem effundere potuit. Forte in plu-
res, si quae fiunt, effusiones sanguinis haec explicatio qua-
drare potest.

§. XIX.

Lymphaticae itaque profapiae maxima ex parte huiusmo-
di concretiones in cauis maioribus sanguiferis natas esse, su-
pra, ad sententiam Clarorum Virorum, dictum est. Inest
particulis his nisus in cohaesionem abeundi, si aut calor aut
motus naturalis mutetur, et sanguinem multas huiusmodi
particulas, vel etiam ad concretionem iam pronas continen-
tem, possem non male ad concretiones polyposas praedispo-
situm nominare. Verum non adeo hinc atque illico appetet,
cur, si ad hunc lentorem phlogisticum caussae accedant, non
potius inflammationes topicae in vasis minoribus, quam con-
cretiones in cauis maioribus oriuntur. Si quid esset in por-
tione fibrosa, quam sanguini tribuit Ill. GAVBIVS, forte
facilius

facilius res explicaretur, quippe cuius materiam inesse dicit b) sanguini, sed coire impeditam, dum motu vitali calet sanguis, sicque respondet quaestionibus a se propositis: an igitur inest etiam in sanguine vitali? An nascitur demum in effuso? motus igitur et caloris vitalis imminutionem aut sublationem pro causa concretionis particularum ad concrescendum dispositarum hic ponit Vir Cl. At fere et eadem haec in lympham, ut supra expositum est, quadrant. Rarum porro est, concretiones polyposas inuenire, quae non, saltem praeuia sufficiente ablutione et maceratione albescant, licet interdum recenter extracti aliquantum rubeant i). Fiet inde, ut, si multae huiusmodi particulae concrescibles adsint, omnia, quae motum et calorem vitalem imminuunt aut sufflaminant, concretionum huiusmodi generationi occasionem praebere possint, idque potissimum iis in cauis, vbi maior huiusmodi particularum copia est, id est in maioribus, et vbi maius volumen fluidi minorem contactum solidorum, sc. parietum, experitur. Licet enim et ipse in arteriis et venis minoribus passim concretiones inuenerim, longe tamen in cauis maioribus frequentiores esse videntur, et priores passim pro talibus habeo, quae post mortem demum generatae sunt, cum in vita nullis vnquam molestiis sese manifestauerint. Eleganter explicat hanc rem Ill. DE HAEN l), dum ait: quemadmodum sanguis ampla patina exceptus, ut fundum modo tegat, crustam non format, sed modo, vbi magno volumine colligitur, ita coalescit idem sanguis potissimum in cauis cordis inque arteriis maioribus.


E 2

§. XX.

b) Oper. cit. p. 159.

i) Ill. SENAC. Tract. du Creur. Libr. IV. Cap. 6.

l) loc. cit. p. 125.



§. XX.

Non sic prorsus eaedem erunt caussae, quae in morbis inflammatoriis lympham cogunt, et quae concretiones huiusmodi in vasis maioribus efficiunt, cum hae magis subito effectum suum exserere videantur. Etsi enim negare non audeam, concretiones has per depositionem et appositionem plurium particularum lymphaticarum et ratione voluminis et ratione ramificationum successiue valde increscere posse, mihi tamen probabile est, primum quasi earum stamen et rudimentum subito nasci et ad parietes caui continentis apprimi eique inseri, cum non satis perspiciam, qui fiat, quin, si liberum fluctuaret huiusmodi concrementum, id aut actione cauorum aut a torrente sanguinis abreptum promoueatur, et demum vasis minoribus infigatur, ibique subsistat, nisi quis supponere voluerit, fieri id utique pluries, at rarius detegi et obseruari. Subitanee igitur plerumque sunt caussae, quae motum et calorem sanguinis minuere aut suppressere, et sic cohaesiōni particularum dispositarum fauere possunt. Referuntur huc animi deliquia a quacunque primum alia caussa orta, quae, quod diuturniora, eo magis periculosa hanc ob caussam erunt, nec difficile erit, si quis mihi obiecerit, non omnes olim satis longa asphyxia detentos polypis tandem vexari, respondere, sanguinem eorum non praedispositum fuisse. Idem valebit de potu gelido post magnam incalescentiam ingurgitato, cuius scilicet frigus facile et partes oesophago vicinas adficit, lymphamque aestuantem coagulat. Sic cursor Principi absenti natum esse filium diu exoptatum primus nunciaturus, plura miliaria paucis horis incredibili velocitate emensus, palatum intrat, et prolati saltem verbis: Princeps natus est, lagenam vini nunc e cella adlatam arripit, uno haustu infundit,


et

et repente mortuus concidit, vniuerso fine dubio in corde et pulmonibus nato coagulo.

§. XXI.

Neque minus tanta est subiti terroris in actionem cordis efficacia, vt et ipsam asphyxiā *m)* producere possit, in qua, cum vtique minor calor et motus sanguinis adsit, eo facilius in cauis maioribus fluidorum orietur concretio. Sed et terrorem non ad asphyxiā usque euectum talia concrementa producere ipsoſſe, eo minus dubitandum est, cum id doceant obſeruationes. Notabilis est historia, quam refert *TVLPIVS n)* de nauta, qui mala fortuna in aquam illapsus, non niſi poſt longum tempus et maxima opera e tanto vitae periculo ereptus est, verum adeo perterritus, vt, licet non vere asphycticus, tamen vix ſui compoſe eſſet. Verum ab eo ipſo tempore vehementiſſimam ſenſit palpitationem cordis, cum maxima moleſtia et anxietate, qnae per plures annos ad vitae finem perſtitit. Vix eſt quod dubitem, repentinō terrore ſic motum et calorem ſuppreſſum eſſe, vt in robusto viro ſanguis ad phlogofin diſpoſitus ex parte concreſere poſſet. Sed et in persona ſequioris ſexus notatu digni exempli memini. Puella viginti annorum, fat formosa, habitus corporis floridi et animi ad hilaritatem proclivis, per ſcalas deſcendens infelici lapsu omnes gradus emetitur, ſic vt in atrio ſupina iacens inueniretur, mortua primum habita, nam tanta correpta erat asphyxia, vt non niſi multis adhibitis ſatis diu poſt ad ſe rediret. Haec an a terrore orta fit, an forte a ſpinæ dorsi, durante lapsu, alliſione et medullæ spinalis concuſſione, diiudicare nolo; quod tamen po-

m) SAVVAGES oper. cit. T. III. *n)* Libr. IV. Observ. XIX,
P. 406.




sterius ideo vix supponendum videtur, dum nec in spina dor-
fi, nec in vlo corporis loco minimum vllius laesioris, con-
fusionis aut fugillationis appareret vestigium. Id addo, ab
ipso illo momento, quo ex asphyxia ad se rediret misera,
violentissima correpta est palpitatione cordis, vt totus quasi
thorax antrorsum semper truderetur, quae die noctuque, si-
ne vlla intermissione, per plures annos produrauit, ita ta-
men, vt a scalarum ascensu exacerbaretur; pulsus inueni
omnimodo anomalum, nunquam tamen vere intermittentem;
verum et in carotidibus vehemens apparuit pulsatio. Vix
mihi satis explico, qui factum sit, vt nullam vnquam anxie-
tatem sentiret puella, quae adeo abfuit, vt et nihil hilaritati
animi detraheretur, sed et ipsa iocose de mobilitate sua lo-
queretur, licet ego candide identidem monerem, intempe-
stuum hic esse saltem iocum ancipitem. Num puella adhuc
superstes sit, ignoro. A terrifico lapsu hic concretiones in
cauis maioribus, harum turbarum caussas ortas esse, multa
mihi persuadent argumenta.

§. XXII.

Magis aliquantum dubia videtur diagnosis caussae, si
ad terrorem simul violentia externa, laesiones inferens, ac-
cesserit. Vir eruditus ante multos annos iter faciens in re-
gionibus montosis rheda vehitur, sed infausto casu vna cum
rheda et equis in praecipitum sat altum delabitur. Eleuatur
semianimis, thoracis parte sinistra in acutum saxum illapsa,
sicque conquassata et lacera, vt et frustula duarum costarum
fractarum extraherentur. Dexteritate et industria amicorum
eruditorum sic tandem restituitur, vt et munere suo per plu-
res annus fungi posset, nihilque superesset, nisi transitoria
inter ambulandum dyspnaea, contra vero perpetua pulsus
unius,

unius, post senos vel septenos quosque iectus, intermissio, quam ego, rogante Viro ipso, plurimis vicibus exploravi et obseruaui. Accidit quinque forte lustra post lapsum, ut matutino tempore, haustulo cerevisiae calidae sumto, immani clangosa et suffocatiua tussi, cum rubore faciei repente corriperetur. Mutatur illico rubor in pallorem, virque in sedile ruit, caput leniter attollit et exspirat, nec frictione, nec volatilibus, nec venaesectione reuocandus. Quae cuncta dum mente mea perpendo, dubius utique aliquantum haereo, quae proprie repentinae mortis caussa fuerit, dum variae adesse potuerint. Quum ab ipso lapsus tempore et respirationis molestiae et pulsus anomaliae ingruerent, sine dubio et hinc cuiuscunque degenerationis origo repetenda erit. Fieri scilicet potuit, ut tantus terror sanguinis partem in quocunque cauo maiori coagularet, et quibusdam concretionibus formandis ansam praeberet, actionem cordis turbantium; verum non minus videri potest, tantam violentiam, quae diffringendis costis sufficeret, etiam vasis maioribus eam vim intulisse, quae tandem quocunque vitium in iis produxit, et turbarum et subsecutae mortis caussam. De aneurysmate tamen aortae vel pulmonalis arteriae, vel alterutrius auriculae, fatis diu praesente, tandemque disruptae, et subitam mortem, lethali sanguinis effusione, inferente, suspicari nolle, cum id sine dubio, successuo suo incremento, etiam sensim molestiarum induxisset augmentum, cuius tamen rei per tot annos nullum aderat vestigium. Si quid in re incerta argumentari licet, id mihi videtur, ortam esse forte a terrore concretionem polyposam in auricula sinistra in ventriculum sinistrum protensa, dispnoeae olim et pulsus intermittentis caussam, hanc concretionem subito auulsam auriculam obstruendo, refluxum sanguinis e pulmonibus impediendo,



do, tussin clangosam, refluxu ex capite impedito, ruborem faciei produxisse, et altius iam principio aortae impactam, syncopen lethalem effecisse, in qua, cessante sanguinis in caput impulsu, pallor accessit.

§. XXIII.

Neque vero si de caussis, quae huiusmodi concrementis fauent, dicendum est, spirituum inflammabilium usum, seu potius abusum prorsus omittere oportet, quippe qui, testantibus omnibus expertis, sanguinem eiusque lympham coagulant, partesque solidas corporis indurescere faciunt ^{o)}, eoque magis, si eo tempore, quo maior videtur adesse dispositio, et de quo mox §. sequenti dicendum est, ingurgitantur. Plures mihi nosse contigit homines huic ebriositati deditos, qui perpetuis fere anxietatibus et palpitationibus cordis vexati erant, tandemque subito mortui, saepe in lecto reperti sunt, in quibus sane, adfuisse tales concretiones, maxima adest suspicio. At non in suspicionibus, sed in veris observationibus subsistere malo. Foemina triginta circiter annorum, non adeo morum probitate conspicua, a pluribus retro annis pro consuetudine quotidie non prorsus exiguum liquoris spirituosi copiam matutino tempore haufit, verum etiam ab eo tempore, non cordis tantum palpitationibus, verum etiam dyspnoea saepè ad asthma usque siccum vehementissimum adscendente vexabatur. Facta nihilo secius grauida, peperit feliciter foetum sanum. Ipsa die circiter decimo quarto post puerperium domo exiens, in platea violentissimo corripitur asthmate, quo suffocata periit illico. Corpus in Theatrum illatum nil in cavitatibus suis aut visceribus aliis morbos exhibuit: verum in corde singulares apparuere concretio-

^{o)} III. v. SWIETEN Comment. T. II, p. 136.


cretiones mirae et magnitudinis et densitatis, partim accretiae parietibus, partim liberae et pendulae, quarum duas praecipue mirantes contemplati sumus, alteram ex quatuor venis pulmonalibus totidem radicibus enatam uno suo corpore saccum venosum et auriculam sinistram pene explentem, alteram ex pariete ventriculi dextri excrescentem, alte satis in arteriam pulmonalem impactam, ut adeo non miraremur, qui factum sit, ut mulier subito exspiraret, sed potius, quomodo tantis concrementis, et visceribus vitalibus obstructis fere, tam diu viuere posset. Quis enim hic, concretiones has non olim adfuisse, sed in agone mortis natas esse somnaret? Id addo, nos eo tempore e superficie interna vteri dissecti, eiusque patulis orificiis, non verum tantum cruentem, sed et filamenta quaedam inspissata exprimere potuisse.

§. XXIV.

De tempore magis concretionibus fauente §. praecedente mentio facta est. Num quid in hac re veri sit, paucissimis disquirendum est. Sic videtur. Partem enim sanguinis esse, quae substantiam seu materiam harum concretionum constituit, nullum est dubium. Hinc etiam a quantitate particularum in sanguine contentarum, maior pendebit generationis talium concrementorum facilitas. Licet in genere FRID. HOFFMANNVS p) doceat, a sanguine crasso viscidoque eiusmodi particulas in cauis relinquiri, ac in fibrosam tandem texturam coire posse . . . eoque magis, si chylus sit adhuc crudus nondumque cum sanguine mixtus etc. tamen haec exactius paullum consideranda sunt. Conuenit quidem chylus cum lympha eatenus, quod iisdem vehatur vasis, et vasa la-

ctea

p) Med. Rat. Syst. Tom. IV, Part. III, p. 242.



etea cum ductu thoracico eo tempore, quo chylum non continent, lympham vehant, continetque eas partes, e quibus tandem sanguis et ipsa lymphha magno apparatu elaboranda est; verum non minor intercedit inter hos humores differentia ^{q)}, cum multum adhuc de alimentorum retineat natura chylus, nec quae de lymphha dici possunt, omnia in chylum quadrent. Iam vero, ex sententia Cl. Virorum, ex indole lymphae coagulabili, harum concretionum origo supra explicata est, vnde non male argumentari licet, quo plures adfunt in sanguine verae partes lymphaticae, eo facilius huiusmodi concretiones oriri posse. Huc iam referre liceat, quae docet Cl. MICHAELIS ^{r)}, dum ait: Concretiones et polypos lymphaticae originis esse, experimento a BIRCHIO instituto extra omne dubium ponitur. Aperiebat ille in viuo cane ductum thoracicum, ita ut *lympha* in pectoris cavitatem effunderetur, et intra vnius diei tempus pulmones cum pleura conglutinatos vident. Quam celeriter vero e ductu thoracico humor in cava majora cordis influat, sat notum est. Iam paucas post pastum horas euanescit e sanguine verus chylus iam magis immutatus, vasaque, quae chylum vexerant, nunc lympham magis elaboratam vehunt, idque eo magis quo diutius non recens chylus aduectus est. Maxima ergo copia verae lymphae, humoris scilicet in concretionem proni, eo tempore e ductu thoracico per venam subclaviam et cauam in caua cordis depluet, quod longissime a pastu et peracta chylificatione distat. Quae cuncta si quis perpendat, facile eo mouebitur ut ei verisimile videatur, etiam eo tempore, si quaedam earum caussarum occasiona-


lium

^{q)} vid. HALL. El. Phys. T. II. ^{r)} Oper. cit. p. 32.
p. 124. sqq. Cons. T. VII.

lium superveniat, quae supra dictae sunt, longe facilius concretionem partis lymphaticaæ nasci posse, idque fere tempus, pro nostro viuendi more, maxime in horas matutinas incidet.

§. XXV.

Maximum sane periculum, quod a huiusmodi concreti-
nibus imminet, non in successiva solum omnium functionum
ab actionibus vitalibus pendentium perturbatione consistit,
verum in eo potissimum, ne loco suo motae et abruptae su-
bito vasi maiori impingantur, idque obstruendo lethalem suf-
focationem, syncopen vel apoplexiā producant. Habent
sane quod sibi caueant, quibus sunt polyporum praesentium
indicia, omniq[ue] studio eo contendant, ne ad validiores
contractiones cor stimuletur, quibus concretio parietibus ad-
nexa auellatur, subitoque altius eo protrudatur, quo tran-
fire non possit. Plethora sic, praeципue quacunque de causa
commota, maxime periculosa. Animi pathemata quantum
huc conferant, facile patet, testatur experientia. Insigne
mihi huius rei notum est exemplum. Vir ultra triginta
annos natus per magnam Europæ partem vagatus etiam
nostram urbem accedit, ad conatus suos perficiendos hone-
storum querens subsidia. Incidit in suspicionem, quam et
relationes exteræ confirmant. A magistratu interrogatus
ancipiti et haesitante responsione pondus suspicioni addit,
hincque in custodiam satis tolerabilem deducitur. Post ho-
rae quadrantem mortuus inuenitur, pallidus in medio pavi-
mento prostratus, nulla ope reuocandus, vt quibusdam de
veneno subito necante clam assumto nasceretur cogitatio.
Corpus in Theatrum defertur. Praedixerat Vir Eruditus no-
tabiles circa cor repertum iri degenerationes, dum pridie



pulsum eius explorans, maximas obseruasset eius anomalias, ipseque de summis angustiis conquestus esset. Nihil nunc de thoracis deformatione, nihil de visceribus caeterum sat bonis. Dixisse sufficiat, cor insignis fuisse amplitudinis, auriculam et ventriculum dextrum vacuum, sinistrum vero plenum, in eoque concrementum castaneae magnitudine, sarcinati simile, duabus radicibus parieti ventriculi affixum, quarum tamen altera, substantiae fragilis et fere fungosae, sic recenter abrupta erat, ut eius portio adhuc ventriculo adhaereret. Eam sic nacta est concretio haec mobilitatem, ut, si cor breuius fieret, facile orificium aortae attingeret idque obstrueret. Mihi quidem vix dubium videtur, polypum hunc sic accretum diu adfuisse, nunc vero in homine perterritio aut indignabundo, validiore cordis actione altera radice abrupta, mobiliorem et elongatum in ipsa ventriculi systole aortae impactum esse, sicque subitangam hanc et lethalem effecisse asphyxiā,

§. XXVI.

Maxime quidem, quae hucusque dicta sunt, ad concretiones in cauis cordis eiusque vasis maioribus generatas pertinent. Verum etiam in aliis vasis et cauis sic partem sanguinis concrescere posse, et suadet ratio et docet experientia. Signa quidem tunc magis dubia, dum sic vix adeo notabiliter actio cordis turbatur, fieri tamen non potest, quin motu sanguinis in ea saltem parte minus expedito, eius quoque magis vel minus turbetur functio diuersissimaque adsint symptomata. In vasibus cerebri, sinubus Durae Meningis et in ipso Plexu choroideo vermiformia huiusmodi concrementa inuenere incisores, inueni et ego. Caussas occasionales hic indicare difficile, nisi forte quis abusum spirituorum respi-

cere

cere velit; eo vero facilius perspicere, impedito sic iusto sanguinis e cerebro refluxu, hoc variis in locis comprimi, debitumque materiae nerueae motum turbari, et dirissimos morbos ad systema neruorum referendos oriri posse. Sic e sinu falciformi foeminae, quae multis ante mortem annis de intolerabili totius capitis pulsatione conquesta erat, tandemque melancholica facta, sibi ipsi mortem laqueo consciuerat, insignem polypum vermiciformem ipse extraxi. Vir in munere splendido constitutus per plures annos atrocissima laborabat cephalaea occipitali ad minimum motum incredibiliter exasperata, et denatus in ventriculo cerebri quarto concrementum oblongum nucis fere moschatae magnitudine exhibuit. Quam vellem hisce diutius infistere, pluresque et observationes et meditatiunculas subiicere. Verum cum sic Dissertationis limites me transgressurum sentiam, in his potius subsistere malo, proleta Benouolo Lectori, aequo animo tironis primitias diiudicaturo committens.





T H E S E S.

- I. *Camphora vim habet refrigerantem.*
 - II. *Non omnia terrea medicamenta sunt inertia.*
 - III. *Gonorrhoea solis diureticis sanatur.*
 - IV. *Saepissime medicum oportet, ad symptomata magis, quam ad caussam morbi respicere.*
 - V. *Succus gastricus non famem excitat.*
 - VI. *Morbi spastici et conuulsiui nunquam morbi sunt, semper symptomata morborum.*
 - VII. *Irritabilitas Halleriana solis muscularis propria, non a materia neruea dependet,*
 - VIII. *Omnis morbus status praeternaturalis, sed vix omnis status praeternaturalis morbus dicendus.*
 - IX. *Non datur specificum.*
- 